

instaurauerimus, post hac de integro beneuolentiae certamen initari. Id per amicos communes uiros eruditissimos et optimos procuratum est: quibus uisum est hoc in rem utriusque fore, praesertim meam, qui et senio et ualetudine et immensis studiorum laboribus et fori linguaeque minime sum ad litigandum instructus. Rumores saepe uani sunt, nec raro fallunt suspensiones. Quod si Henricus Eppendorpius Serenissime tuae Celsitudinis expectationi satisfecerit, quod equidem facturum confido, mihi duplici nomine carus erit et quod pro hoste sim habiturus amicum et quod ei Principi probetur, cui non semel meis litteris fuit commendatus. Ad postremas E. C. T. litteras, perbreues quidem illas, sed tamen amantissime scriptas iam pridem respondi, per adolescentem eximiis ornamentis insignem. Opto Serenissimae Celsitudini tuae felicitatem perpetuam. Datum Basileae Anno Domini MDXXVIII.¹

E. T. Celsitudinis addictissimum mancipium Erasmus Rot. mea manu subscripsi. Illustrissimo Principi Georgio, Duci Saxoniae, Lantgrauio Thuringiae et Marchioni Mysnae.

Aus dem königl. Hauptstaatsarchiv zu Dresden. Act. Dr. Martin Luther's Lehr etc. Loc. 10300. Bl. 27.

Basel.

XII.

27. August 1528.

Erasmus an Christoph von Schydlowitz.²

Quod tibi tantopere placet in scriptis meis nonnullos offendit, quibus haec assidua pacis praedicatio uidetur esse principium sine fine dissidentium sugillatio. Quamquam ego nec omne bellum damno, est enim interdum necessitatis, nec quemquam principem sugillo, tametsi negari non potest, ubicunque bellum est, ibi crimen esse uel ab hac parte uel ab altera, interdum utrinque. Ceterum animos causasque principum Deus

¹ Der ganze Brief ist sehr versöhnlich gehalten, es ist wie eine Variation über das Thema, das er unter Anderem Melanchthon (Corp. Ref. III. 86) in seinem letzten Schreiben an diesen ausspricht: Nec is sum, qui ob quamlibet offensionem ex amico fiam hostis.

² Chr. v. Schydlowitz (Schidlowski), Polens Kanzler, wurde von Erasmus als ein ‚uir prudentissimus et integerrimus‘ sehr gerühmt (Opera III. 977)